

Steck

1755





10
H. 114, Num. 11
IO. CHRIST. WILH. STECKII

I. V. D

D E

FEVDIS CORAM SOLIO CAESARIS

SOLLENNITER ACCIPIENDIS

COMMENTATIO

CAPVT XI. §. VII.

P. 344
SANCTIONIS IMPERATORIS A. FRANCISCI I.

AVSPICALIS ILLUSTRATVRA.



GOETTINGAE

APVD IO. GVIL. SCHMID, VNIVERS. BIBLIOPOL.

CICID CCLV.

IO CHRISTI WELCHER STERBET

D. W. D.

D. R.

IN HOC SACRAMENTO SACRAMENTUM

COMMUNIONIS ACCEPERE

COMMUNIO

COMMUNIO

COMMUNIO SACRAMENTUM

COMMUNIO SACRAMENTUM



COMMUNIO SACRAMENTUM
COMMUNIO SACRAMENTUM
COMMUNIO SACRAMENTUM





DE
FEVDIS CORAM SOLIO CAESARIS
SOLLENNITER ACCIPIENDIS
COMMENTATIO.

§. I.

INVESTITURA FEVDORVM I. REGALIVM OLIM IN
CVRIA SOLLENNI SVB DIO PERAGEBATVR.

Inauguratio Vafallorum Imperii eminentiorum in Comitibus quondam et Curiis Imperatorum folle-
nibus, adparatu valde pompofo, fiebat ¹⁾. Quem-
admodum vero veteres Germaniae populi omnes
reipublicae conuentus, omnia procerum concilia, omniaque
follelnia fub dio vdoque fub coelo celebrabant ²⁾: ita clien-
telares quoque inueftiturae, ac caeremoniae inaugurationum
non in Conclavi et Camera, fed apertis in locis, in foro et
campo peragebantur ³⁾.

1) Veteres beneficiariae inaugurationis follelnitates ritusque nemo elegantius
mihi et adcuratius defcripfilfe videtur, *Illuftri D. IO. GE. ESTORE* in
C. de *Inaugurationibus beneficiariis, earumque Symbolis et ritibus*,
Marburg. 4. 1746. edit. II. Vafallos Imperii illufres in Comitibus Curiis-
que

que sollennibus inauguratos esse, neminem latet. Etenim isti conuentus sollennes non modo ostentandi splendoris ergo, vel religionis causa, verum cum quoque potissimum in finem celebrari solebant, vt de reipublicae negotiis deliberationes instituerentur, vt ius diceretur, vt feuda ritu sollenni concederentur. *Illustr. et celebr.* IO. IAC. MASCOV in *Princip. Iur. Publ. I. R. G.* Lib. III. Cap. VII. §. III. IV. p. 170. Lib. *de Iure Feudorum in I. R. G.* Cap. VII. §. XIII. edit. 1754. p. 134. *Diff. de Paribus Curiae* §. III. p. 4. Lips. 1740. *Perill.* ERN. ANT. HENR. S. R. I. *Eques a SECKENDORFF* in *diff. sub meo moderamine conscripta: de Vsu moderno Iudicii Parium Curiae Wirtembergici* §. IV. p. 9. §. IX. p. 13. Tubing. 1753.

- 2) Omnia in Francorum inprimis regno, et penes singulos Germaniae populos, reipublicae Concilia non in aedibus tectisque, sed sub dio vdoque sub coelo haberi solebant, tum quod Procerum multitudinem nulla domus caperet, tum vt eo minus impediretur suffragandi dicendique libertas. Mœnia enim muriq̄ue libertati officere credebantur. Hinc in campo, quem martium vocabant regni Francorum Comititia celebrari moris erat. CAROL. DU FRESNE DU CANGE in *Gloss. med. et inf. Latinit.* Tom. I. voc. *Campus.* IO. GEORG. KEYSLER in *Antiquitat. Septentrion. et Celtic. select.* Cap. V. §. I. p. 86. IO. IAC. SORBER in *Comm. de Comititiis ver. Germ. populorum*, Vol. I. et II. Ien. 4. *Illustris* CHRIST. GOTTL. BYDER in *Amoen. Iuris Publ. I. R. G.* Obs. XI. *de Comititiis Prouinc. olim sub dio habitis* p. 176. et *Obs. de Iudiciis populorum septentrionalium et Germanorum sub dio.* VI. *Obs. Iur. Publ. feud. German.* Ien. 1751. 8. p. 101.
- 3) Ipsi Confessus in illis Curiis sollennibus vplurimum sub dio celebrati fuerunt. Aedificabantur nimirum tabulata ac substructiones, in quibus Rex cum Proceribus consideret. Istud sedile regium, quale superstes conspicitur Rensae, dicebatur: *der Königs = Stuhl.* Ill. D. IO. IAC. MASCOV *Princ. Iur. Publ. I. R. G.* Lib. III. Cap. VII. §. IV. n. 2. p. 171. *Diff. de Paribus Curiae* §. IV. p. 7. n. 10. Quem quidem morem satis euidenter indigitat AVREA BVLLA, Cap. XXVIII. §. 7. *Recipiat magister Curiae pro se totum aedificium, seu ligneum apparatus imperialis, siue regiae sessionis, ubi sederit Imperator vel Rex Romanorum cum principibus Electoribus, ad celebrandas sollennes Curias, vel feuda, sicut praemittitur, Principibus conferenda:* in *CORP. RECESS. IMP. NOVISS.* Tom. I. p. 85. Ex quibus satis luculenter patet, coram tali solio opere saltim tumultuario ac temporario exstrui solito, principes Imperii in sollenni Curia antiquitus esse inauguratos.

§. II.

INAUGVRATIO SOLLENNIS FIEBAT CORAM
SOLIO REGIO.

Solennis vero illa feudorum Imperii inuestitura in Curia ritu vetere celebrata, coram folio ac suggestu seu sedili regio Principum ac electorum concione stipato peragi solebat. Iste Thronus ex ligno saltim et tabulato exstructus, curia finita, et peracta clientelari inauguratione dissolutus Curiae Magistro cedebat. AVREA BVLLA Cap. XXVIII. §. VII. in CORP. RECESS. IMP. NOVISS. Tom. I. p. 85. *Præterea consummatis his, que in imperiali qualibet Curia, sue regali fuerint pro tempore disponenda, recipiet Magister Curiae pro se totum edificium, seu ligneum apparatus Imperialis siue regie sessionis, ubi sederit Imperator vel Rex Romanorum cum principibus electoribus ad celebrandas sollempnes Curias, vel feuda, sicut premititur, principibus conferenda.*, Huic folio Imperator vel Rex augustali amictus vestitu sub dio insidens Imperii Vasallos eminentiori dignitate coruscantes inaugurabat. Sellam regiam circumsedebant Principes et Electores consueto ornatu superbientes. BVRC. GOTTH. STRVV. *Corp. Jur. Publ. I. R. G. C. XII. §. XXXI. p. 453. Elem. Juris Feudalis. ed. IO. AVG. HELFELDII Cap. VIII. §. 180. p. 168.* Clarius hanc sellam regiam repræsentant Commentarii sollempnium eiusmodi inaugurationum ritus, pompam ac caeremonias enarrantes. Relatio de Inuestitura sollempni CAROLI BVRGVNDI de GELDRIA et ZVTPHANIA. A. MCCCCLXXIII. peracta in IO. IOACH. MÜLLERI in dem Reichs-Tags-Theatro unter Kayser Friedrich dem III. V. Vorstell. Cap. XXXV. §. XXV. ex quo integram excerptit BVRC. GOTTH. STRVV. *Corp. Jur. Publ. C. XII. §. XXXI. N. 25. p. 454.* So wohl der große Platz in benannter Stadt Trier hierzu ausersehen, und allda ein großer Lehnstuhl aufgerichtet. ic. Mit ihrer Majestät stiegen

auf den Lehen-Stuhl die Chur-Fürsten von Meins und Trier, in ihren Chur-Fürstlichen mit Hermelin gefütterten Mänteln und Hauben ic. Als er vor dem Lehn-Stuhl gelanget, stieg er ab, trat die Stufen hinauf, und senckte sich vor dem Kayser auf die Knie. IO. TRITHEMIVS in *Annalibus Hirsaug.* ad A. 1495. p. 558. vbi Wormatiensium Comitiorum acta recenset: *In eodem, inquit, Conuentu XIV. die mensis Iulii Maximilianus Rex ornamentis regalibus ex more indutus. et sedens in solio maiestatis, loco eminentiori ad hoc fabricato et tabulato ligneo, in ea planitie orbis, per quam de St. Martino itur ad Carmelitas in suburbanum, circumdantibus inprimis principibus electorii ordinis, et postea quibusdam aliis, in multa Principum, nobilium, et populi frequentia, quibusdam novellis principibus regalia seu feudalia ex antiqua consuetudine postulantiibus concessit.* Historia Electionis Maximiliani I. apud MARQV. FREHERVM *Script. rer. Germ.* Tom. III. p. 28. *Die Martis quartadecima mensis Februarii diuus Fridericus, Romanorum Imperator, sedens in maiestate in alto cunctisque patienti aedificio, omnium principum, Comitum atque Baronum, praeterea innumerabili procerum stipatus Caterua, magna interueniente sollemnitate, feuda regalia gratiose concessit, primum Archiepiscopo Moguntino, deinde Philippo duci Bavariae, Comiti Palatino Rheni; tum Henrico, duci Brunsvicensis; et postremo episcopo Vormatiensi²).*

1) Reges Germaniae antiquitus solis thronisque vfos fuisse, nemo inficiabitur. Inlutum inprimis est solium, quod Carolus Magnus sibi in Templo Aquisgranensi extruendum curavit, quodque regni Germanici Archisolum appellatur. IO. NOPPIVS in *der Pfner-Chronik* L. I. C. V. p. 26. Auf dem Hochmünster der Haupt-Kirchen unter der Orgel stehet der Königlische Stuhl ic. WIPPO PRESBYTER in *Vita Conradi II. Salici* apud IO. PISTORIUM *Scriptor. rer. Germ. vet.* Tom. III. N. 2. p. 457. p. 469. *Collecto regali comitatu, Rex Chonradus primum per regionem Ripuariorum, usque ad locum, qui dicitur Aquisgrani Palatinum pervenit; vbi publicus THRONVS regalis ab antiquis regibus, et a Carolo praecipue locatus, totius regni Archisolum habetur.* Hymni Caroli M. memo-

memoriae dicati apud IO. MABILLONIVM de *Re diplomatica*
Lib. IV. §. IV. p. 246.

Vrbs Aquisfis, Vrbs Regalis

Sedes Regni Principalis

Prima regum Curia.

OTTO FRISINGENSIS de *Gestis Friderici I.* Cap. III. *Aquisgrani ab Arnolfo Coloniensi Archiepiscopo aliis cooperantibus coronatur, in sede regni Francorum, quae in eadem ecclesia a Carolo M. postea est, collocatur.* BVRC. GÖTH. STRVV *Corp. Iuris Publ. I. R. G.* Cap. VII. §. XXIV. p. 218. Cap. III. §. XXXVI. p. 73. Continuum soliorum usum etiam ex sigillis Imperatorum colligimus, in quibus inde ab Henrici II. Sancti temporibus, Thronis insidentes repraesentantur. HENR. CHRIST. ECKARDTI *Introductio in rem diplomaticam Germ. Sect. II. C. III. §. LXXX.* p. 95. edit. nouiss. Quin CAROLVS MEICHELBECK in *Hist. et Chron. Frisingensi* P. I. p. 194. Sigillum Ottonis III. producit, in quo Rex in folio regio seu imperiali sedens conspicitur; quamuis b. GOD. de BESSEL in *Chron. Gottvic.* Lib. II. p. 230. istud sigillum Henrico II. vindicandum, et Chartae Ottonianae ab imperita manu adpensum esse contendat. Vñs Throni longe antiquior certe priusque Germaniae regibus sollemnis fuit, quam in illorum sigillis folia deprehenduntur. CAROL. du FRESNE du CANGE *Gloss. med. et infim. Latin.* Tom. VI. voc. *Solum, Thronus, Sedes.* In Curia profecto saltim sollemnibus Germaniae reges solio ac Throno, Corona ornati, et augustalibus amicti vestibus insidere solebant. AVREA BVLLA Cap. XXVII. §. 2. in *CORP. RECESS. I. NOVISS.* p. 82. *Primo enim imperatore vel rege ipso in sede regia, sine folio Imperiali sedente &c.* Cap. XXVIII. §. VII. c. l. p. 85. Illustris D. IO. IAC. MASCOV *Princ. Iuris Publ. I. R. G. L. III. Cap. VII. §. IV. n. 2. p. 177.*

- 2) Sollemni hocce ritu omnes Feudorum Imperii regalium inuesturas fuisse peractas testantur narrationes, quas de illis posteri acceperunt. Fridericus III. I. omnes inauguravit Imperii Principes sub dio obseruatis veteribus ritibus. MARQV. FREHERVS in *Coll. S. R. G.* Tom. III. p. 21. seq. IO. IACOB. MÜLLER in dem *Reichs-Tags-Theatro* unter *K. Friederich III. VI. Vorstellung.* Cap. XXV. §. XXXI. XXVI. *Vorstellung.* XI. C. XXX. MELCH. GOLDASTVS *Politie. Imperial.* P. VI. p. 360. IO. PHILIP. DATT, de *pacs Publica.* L. III. C. XII. n. 88. seq. Eaedem Inaugurationis coram folio regio Caeremoniae iugiter seruatae vsque ad Ferdinandum I. cuius temporibus Inuestitura e Campo in Curiam, e foro in Conclauē fuit translata. Inter postremos Imperii Proceres sollemni ritu coram sella regia sub dio inauguratus fuit Augustus Saxoniae Elector; qui in Comitibus A. MDLXVI. Augustae Vind. celebratis in foro, maiorum adhuc more, ab Imp. Maximiliano II. inuestitus fuit. Mius Pompae descriptionem exhibet *Illustr.* CHRIST. GÖTTL.

BV-

RVDER in der Sammlung verschiedener seltner Schriften p. 72. Nec non BVRC. GOTTH. STRVVE in *Elem. Iur. Feudalis*. Adp. N. XLII. ed V. C. IO. AVG. HELFELD: p. 79. Haec inauguratio adhuc in foro sub dio peracta. Auch Sr. Chur-Fürstl. Gnaden allergnädigst ansagen lassen, daß Jhro Kayserl. Majestät solche Bezeichnung, in gewöhnlicher Sollemnität öffentlich unter dem Himmel thun wollen. Exstructum e ligneo tabulato quoddam substructionis aedificium, soliumque regium; Solchem allergnädigsten Bescheid zu folge haben Jhro Kayserl. Majestät ein ansehnlich statlich Pallast oder Gestühle auf dem Wein-Marckt aufbauen und zurichten lassen. p. 85. Hat die Kayserliche Majestät die Session auf dem Pallaste für Jhro Kayserlichen Majest. und die Chur-Fürsten zurichten; Jhrer Kayserlichen Majestät Stuhl, mit köstlichen güldenem Stuck bekleidet, auf die höchste Stapsel des Pallasts setzen, und denselben mit einem schwebenden Himmel von güldenem Tuch überziehen und bedecken lassen u.

§. III.

MOS CIRCVMEQVITANDI SOLIVM REGALE.

Die Berennung des Lehn-Stuhls.

Insignem inprimis inaugurationis solennitati splendorem conciliabat *Cursus ille equestris feudal*, seu *mos circum equitandi substructionem ac sellam regiam*, die Berennung des Kayserlichen-Königlichen Lehn-Stuhls. Quando enim Vasalli Principes Inuestituram in Comitii Curiaque sollenni efflagitabant, non soli, verum ingenti illustrium, nobilium, equestriumque virorum cohorte stipati accedebant. Vastis quippe sumtibus suos non solum vasallos et aulicos ministeriales, verum alios quoque principes, comites virosque illustres honoris causa secum adducebant, vt quantae sint illorum opes, quantum ad iuandas res imperii robur eo manifestius adpareret. In ipsa igitur inaugurationis sollemnitate iteratis vicibus suggestum regalem Princeps inaugurandus cum vniuersa equitum cohorte in certas secundum vexilla cateruas distributa, circumequitabat concitato equorum cursu¹⁾. Itum quidem ritum inde a Sigismundi temporibus iugiter seruatum fuisse, omnes testantur, quas de eiusmodi publicis inuestituris earumque Pompa habemus relationes. GEBHARDVS DACHERRIVS

CHERIVS Imperii metator apud HERM. von der HARDT in *Act. magni Constantiensis Concilii*. Tom. V. P. VII. p. 183. sollennem eiusmodi circumequitationem a Friderico I. Electore ex gente Hohenzollerana, Brandenburgico institutam describit, cum Constantiae in foro publico A. MCCCCXIV. inauguraretur. Sub Friderico III. omnes inuestiturae feudorum regalium praeuio hocce circumequitationis ritu fuerunt peractae. Etenim, vt vnicum saltem proferamus exemplum, in sollenni Ioannis, Friderici, et Sigismundi Electorum et Marchionum Brandenburgensium, Burggrauiorum Noribergensium inuestitura in Comitibus Noricis A. MCCCCCLXXXVII. peracta huncce antiquum morem solenniter fuisse obseruatum testatur IO. IAC. MÜLLER in *Reichs-Tags-Theatro* sub Friderico III. Imp. VI. Vorstellung Cap. XXX. §. 3. p. 139. vbi. *Alsdenn das 3te mahl alle 700 in guter Ordnung auf eben diesem Weeg herum (Um den Lehn-Stuhl) gerennet.* In sollennibus Principum inaugurationibus ab Imp. Maximiliano I. Wormatiae A. MCCCCXCV. incluta illa Comititia celebrante peractis Cursum huncce equestrem deprehendimus. Egregiam de illis narrationem edidit BERNHARDVS HERZOG in *Chronico Alsat. Lib. II. p. 153 seq.* vbi de singulis commemorat, suggestum regalem, Comitum nobiliumque Cateruas circumequitauisse. Praefulgida imprimis in illis Comititis erat Eberhardi recens ad ducale fastigium euecti, duois Wurtembergici inuestitura, qui cum quinque Vexillis et ducentorum equitum cohorte huncce ritum perfecit. FRID. HORTLEDER von den Ursachen des deutschen Krieges. Tom. I. L. III. C. I. §. XXI. p. 813 sq. III. CHRIST. GOTTL. BVDER *Obs. Iur. publ. feud. et Germ.* Obs. III. p. 73. Quas Carolus V. perfecit sollennes Principum Imperii inaugurationes, singulas Cursu adhuc equestri ornatas esse constat. Etenim, vt alia tacitus exempla praeteream, Mauritius Electoratus Saxonici inuestituram consecuturus folium regale Caroli V. in Comi-

tiis Augustanis sollenniter circumequitavit. Als ist erstlich
 des Herzog Moriz zu Sachsen ꝛ. Vorzug mit dem Blut-Fah-
 nen aus einer Gassen hervor gerückt, und den Stuhl den alten
 Gebrauch nach berant. Hanc excerptimus relationem ex
 Commentario publico, eo tempore edito: Kurzer Bericht,
 welcher gestalt Kayser Carl der fünfte H. Moriz Churfürst
 zu Sachsen im Jahr 1548 zu Augspurg unter dem Him-
 mel belehnet hat. 4. In pompola ducum Pomeraniae,
 et Gualteri Cronbergii Borussiae Magistri inuestitura a
 Carolo V. in Comitiiis Augustanis A. 1530. expedita equi-
 tationem istam sollempnem aequo reperimus. GEORG.
 COELESTINVS *Histor. Comitior.* Tom. II. p. 251. MELCH.
 GOLDASTVS *Polit. Imperial.* P. VI. p. 361. *Cum his fini-
 ris quatuor illi principes vicissim pontem descendissent, ac
 SOLIVM Caes. Majestatis Cursoribus equis altera vice peti-
 tum esset. Vltima vice sollempnem huncce circumequitati re-
 galis suggestus ritum animaduertimus in pompola Augusti
 Saxoniae septenuiri inauguratione, quam Augustae Vindeli-
 corum in Comitiiis Imperii maiorum more A. MDLXVI. per-
 fecit diuus Maximilianus alter huius nominis. Etenim Nar-
 ratio publica, quae A. MDLXVI. de ista Caeremonia edita
 est Erfordia in 4. sub Tit. Bericht, welcher gestalt von K.
 Maximil. II. der Churfürst H. Augustus zu Sachsen S. L. G.
 Reichs-Lehn, und Regalien auf ihrer K. M. ersten Reichs-
 Tage zu Augspurg öffentlich unterm Himmel empfangen. huius
 circumequitationis ac Cursus feudalis saepissime mentionem
 facit: Dardurch man um den Pallast rennen müssen ꝛ. Und
 von dem Weinstadel an zu rennen angefangen; und haben also
 in guter Ordnung allweg fünf in einem Glied den Pallast,
 darauf die Kayserliche Majestät, samt den Chur-Fürsten ge-
 sessen, in vollem Lauf zu Ross zu dreyen mahlen umrennt.*

ILL. CHRIST. GOTTL. BVDER in der Sammlung
 verschiedener seltner Schriften p. 79 sq. BVRC. GOTTH.

STRVV.

STRVV. *Elem. Iur. feudal.* Adp. p. 87 sq. ed. ILL. IO. AVG. HELFELDII.

1) Pompofum huncce et follennem Curfus equeſtris ritum ex ipsis iſtatum ſplendidarum inaugurationum Commentariis elegantiffime expoſuit atque illuſtrauit *Vir vere Illuſtris et lectiffimae doctrinae* CHRIST. GOTTL. BYDER in *Obſ. Iur. publ. feud. Germ. et antiqu. parriarum.* Obs. III. S. II. de *Curſu equeſtri feudali* p. 65 - 75. Eximium ſplendorem iſte circumequitandi mos inueſtiturae ſollennitati adferebat, et inter reliquas inaugurationis Caeremonias maxime emicabat. ILLVSTR. IO. IAC. MASCOVII Lib. de *Iure Feudorum in I.R.G. Lib. I. C. VII. §. XIII.* p. 134. ed. 1754. Vbi ita, vti ſolet eleganter, ait: *Inrer ſolemnia maxime erat, vt principes inueſtendi circumequitarent ſuggeſtum, in quo ſedebat Imperator, atque inueſtituram ipſi peterent.* Cauſas huius ritus ſi indagare velis, reperies potiffimum eas: Primo talis Nobilium etequitum caterua longe ſollennioreſ reddebat et ſplendidioreſ inaugurationis Caeremoniam. Deinde robur ſuum, vaſallorum, comitum et amicorum multitudinem et copiam oſtentare geſtiebant principes. Porro hicc ritus Seruitia equeſtria adumbrauiſſe videtur. Denique Principes monſtrare Imperatori volebant, quam parati ſint pronique ad iuuandas res Imperii et Imperatoris, et quanta illis praecſto ſit fidelium multitudo ad opem Caefari ferendam.

§. IV.

VEXILLORVM TRADITIO.

Quemadmodum porro omnis traditio beneficii Symbolorum interuentu, omniſque clientelaris inauguratio adhibitis pluribus variisque ſignis fieri ſolebat ¹⁾: ita in feudorum Imperii regalium collatione vexillorum vſus inualuit. Tot nimirum Princeps inaugurandus vexilla in Curſu equeſtri ſibi praeferenda curauit, quot ditiones in beneficium ſibi conferri poſtulabat ²⁾. Erant quippe vexilla poteſtatis imperiiſque Symbola ³⁾. In ipſa inaugurationis caeremonia ſingula vexilla Imperator principi inueſtendo porrigebat, quae deinceps in circumfuſam multitudinem proiiciebantur ⁴⁾. Hinc feuda Imperii regalia ſiue maiora per vexilla ſollenniter ab Imperatore conferri conſueti, feuda Vexilli, Ban Lene, Bahn: Lehn, Fahnen: Lehn fuerunt appellata. *Sächſiſches Lehn = Recht.* A. LXXXVII. *So welch Biſchoff von dem Reich belehnet iſt mit Ban Lene ic, in Perill.* HEN. CHRIST. L. B. de SEN-

CKENBERG *Corp. Iur. feud. Germ.* N. V. p. 218. IVS FEVD. SAXON. Art. XXXVIII. §. VIII. c. l. p. 253. N. VI. *Quod habet feudi vexillum, de quo ipse princeps dicitur atque habetur.* IVS FEVD. BAVAR. C. 33. c. l. N. III. p. 147. Alle Bischöf empfabend von dem Runige Münzze und Zölle, und etlich empfabent Ban Lehen *ic.* IVS FEVD. SAXON. C. XVI. §. 7. *Nil exaltat scutum hominis, nisi feudo vexillum si sibi fuerit collatum.* c. l. p. 226. Sächsisch. Lehn-Recht. C. XX. c. l. p. 186. Bischof-Gut und Ban-Lehen: Wer auch von ein Bursten beient ist, der Ban-Leen hat, der darf das Leen von niemane entpfaben, der Ban Leenes darbet *ic.* Schwäbisches Land-Recht, Cap. CXVI. c. l. p. 603. Der Kaiser sol liben allen geistlichen Fürsten ihr Recht mit dem Zepfer, und allen ueltlichen Fürsten mit dem Banen. §. 3. Der Runig sol dahain Ban-Leen in seiner Gewalt han Jar und Tag, er sol ez hin liben. IVS FEVDAL. ALEM. Cap. CXLII. p. 122. *Perillustr.* HEN. CHRIST. L. B. DESENCKENBERG *Corp. Iur. Feud. Germ. voc. Fahn-Lehn. in Indic.*

- 1) *Ipfa Inuestiturae vox indigitat traditionem rei Symbolicam signisque adhibitis fieri consuetam.* V. C. IO. GE. WACHTER in *Gloss. Germ.* Col. 792. ILL. IO. GE. ESTOR. in *Analectis Fuldensibus* p. 70. Germanicae Originis gentibus singulis arrisit Symbolica res immobiles inprimis tradendi ratio. EVERH. OTTO *Comm. de Iurisprudencia ver. Germ. Symbolica.* IO. GVILL. HOPFMANN *d. de Iurispr. ver. Germ. Symbolica.* NIC. HIER. GVDLING in *Gundlingianis* P. VII. p. 174 seq. IO. GOTT. HEINECCIUS in *Elem. Iuris Germ.* Lib. II. Tit. III. §. LXXIV-LXXX. p. 254. Tom. VI. OPER. OMN. *Edit. Genev.* N. J. *Ipfa vero Symbola, quae veteres Germani in rerum immobilium solenni traditione utebantur, fuisse recenset CAROL. du FRESNE du CANGE in Glossar. med. et infim. Latin. voc. Inuestitura.* Pompota inprimis semper et maxime ritualis erat feudorum ac beneficiorum traditio. Longam esse narrationem fabulam, si sexcenta symbola inaugurationis beneficiariae, quondam usitata enumerare vellem. *Illustris et perennaturae celebratae* VIR, IO. IAC. MASCOV in *Lib. de Iure Feudorum* in I. R. G. C. VII. §. IX. X. p. 131. BVRC. GOTTH. STRVV in *Elem. Iuris Feud.* C. VIII. §. CLXXXV. p. 177. ed. IO. AVG. HELFELDI. *Illustr.* IO. GE. ESTOR in *eximia Comm. de Inauguratione beneficiaria, huiusque symbolis et ritibus*, Capi I.

- 2) Fufe et eleganter de Vexillorum symbolis in Principum inauguratione vtitatis commentatus est NIC. HIER. GVNDLING in *Diarriba* pererudita: de *Fendis Vexilli*, 4. Halae 1715. vulgata. Ex ipsis quoque de sollempnibus eiusmodi inuestituris per vexilla factis, relationibus, quas a maioribus accepimus, huncce ritum egregie illustrant BVRG. GOTTH. STRVV in *Corp. Iur. Publ.* Cap. XII. §. XXXI. p. 449. sq. b. IO. PET. de LVDEWIG in *der Erläuterung der goldenen Bulle* Tom. I. p. 560. sq. IO. SCHILTERVS in *Comm. ad Ius Feud. Alem.* Cap. XLII. §. 2. Cap. CXLII. BVRG. GOTTH. STRVV *Elem. Iur. feudalis*, Cap. VIII. §. CLXXX. p. 176. sq. ed. *Helfeld*. PHIL. WILH. ALB. TIMOTH. LYNCKER de LÜZENWICK *Diss. de Vexillis et eorum in feudis usu*, Erford. 1730. 4. IO. MICH. WEINRICH. *Diss. de Vexillis*, Cap. III. §. IV. sq.
- 3) Vexillis Principes dudum in Imperii et summae potestatis symbolum vsi fuerunt. Hinc illos in nummis bracteatis equitantes vexilla gestantes conspiciamus. CHRISTIAN SCHLEGEL de *Nummis Isenacensibus* p. 7. sq. Hinc in sigillis quoque vexilla portantes repraesentari voluerunt. IO. MICH. HEINECCIUS in *aeterno Opere: de Sigillis* p. 199. sq. Haud inepte coniciunt eruditi ea vexilla signa feudi sollempniter collati, iustae possessionis, imperii et potestatis extitisse.
- 4) Vexilla ab Imperatore Principi inaugurando tradita a Caduceatore quodam in plebem, suggestum Regis circumstantem ac cingentem proiecta, ab eaque misere discerpta ac dilacerata fuerunt. *Kurzer Bericht von Churf. Augusti zu Sachsen feyerlicher Belehnung unterm Himmel* etc. d. a. 1566. in BVRG. GOTTH. STRVV. *Elem. Iuris Feudalis*, Append. pag. 92. So bald auch eine Lehns-Fahne verliehen gewest, ist dieselbige durch die kaysersliche Herolden mit guter Bescheidenheit an der Seite da die gehalten, über den Pallast unter das umstehende Volk geworfen worden, darüber sich dann das Volk dermaßen gehauet und gerissen, daß keine Fahne noch Spieß ganz geblieben etc. Hinc instar privilegii Bohemiae Regibus indulsit Fridericus III. Imp. vt ipsis vexilla salua, sarta et integra restituerentur. MELCH. GOLDASTVS de *Regno Bohemiae* Cap. XIX. §. 32. Lib. III. *Dum Rex Bohemiae a Rege Romanorum, seu Imperatore regalia seu inuestituram, cum sollempnitate et Banderiis sibi conferri petierit, vt sollempnitatibus expletis, banderia ipsi Regi intus laesa, fracta, aut lacerata restituantur. Illustr.* IO. IAC. MASCOV in *Lib. de Iure Feudorum in I. R. G.* Cap. VII. §. XIII. N. 2. p. 154.

§. V.

FEVDA SCEPTRI.

In Principum vero Ecclesiasticorum inauguratione vexillorum loco Sceptrum adhibitum. Etenim in conuentione HENRICI V. et CALIXTI II. Vormatiae A. MCXXII.

percussa cautum, vt electi in Germania Praefules sua regalia per sceptrum ab Imperatore impetrarent ¹⁾. Hinc Auctor des Schwäbischen Landrechts Cap. CXVI. ait §. 2. Der Kayser soll liben allen gaislichen Fürsten ir Recht mit dem Zepfer. *Corp. Iur. feudal. Germ. Senckenberg.* p. 603. Equidem Praefules Germaniae etiam sub dio in Curia sollenni et Comitibus coram solio regio per sceptrum diu fuerunt inaugurati. Sollennem eiusmodi inuestituram per sceptrum peractam describit CHRONICVM REICHERSBERGENSE A. MCLXXIV. quam Fridericus I. in Curia Ratisbonensi expediuit: *Et statim omnis illa congregatio Salzburgensis, quae aderat, simul cum Ministerialibus omnes quendam Henricum Praepositum tunc Perthesgadinensem cum favore Principum et Imperatoris electum collaudant, conclamant, et inthronizant, nihil reluctante illo; Imperator etiam sine mora iustitiam suam ei recognouit, et Ecclesiae Salzburgensis totum Episcopatum cum omnibus regalibus per Sceptrum ei concessit, valde sollenniter coram omni illa Curia et Principibus.* Apud IO. PET. de LVDEWIG Vol. II. *Script. Rer. Germ.* N. IV. p. 129. CHRONICON MAGDEB. apud HENR. MEIBOMIVM *Script. Rer. Germ.* Tom. II. p. 326. *Communicato regis consilio, Norbertum elegerunt. Qui mox cum sacramento Regno debito regalibus ab eo per sceptrum inuestitus.* Diploma Henrici VII. quo Leoni II. Episcopo Ecclesiae Cumanae regalia confert d. a. 1311. apud FERDIN. VGHELLVM in *Italia Sacra* Tom. V. p. 306. *Receptaeque Ecclesiae corporaliter praestito iuramento ipsum Leonem Episcopum suo nomine, et qua supra omni sollennitate seruata per Sceptrum inuestimus &c. &c.* Friderici III. Diploma d. a. MCCCCXC, quod ostendit, Ioannem Episcopum Tridentinum adhuc more auito solitoque sollenniter ab illo inauguratum fuisse per sceptrum: apud FERDIN. VGHELLVM in *Italia Sacra* Tom. V. p. 639. vbi Imperator ait: *Se Iohanni Episcopo Tridentino, recepto prius ab eo fidelitatis, homagii, et subiectionis iuramento debito et consueto, vniuersa et singula regalia,*

galia, nec non temporalia, siue feuda Ecclesiae Tridentinae, cum Ceremoniis, in talibus fieri consuetis et obseruari debitis, contulisse. PET. de MARCA de Concordia Sacerdotii et Imperii Lib. VIII. Cap. XXI. p. 1206. vbi idem ille Imperator se dicit contulisse: *Episcopo Tulensi vniuersa et singula regalia, nec non temporalia, siue feuda dictae suae ecclesiae Tulensis cum Sceptro regali et aliis ceremoniis in talibus fieri consuetis.* Hinc feuda Principum Imperii Ecclesiasticorum per Sceptrum sollemniter conferri solita *feudorum Sceptri* nomen sortita fuerunt²⁾. Ille ritus Imperii Praesules per Sceptrum inaugurandi viguit vsu ad tempora vsque Friderici III. Postea vero Episcopi et praesules de feudis regalibus aequae per vexillorum symbola sub dio sollemniter inuestiri coeperunt. Sic in sollemni inauguratione Georgii, Metensis Episcopi, in Comitibus Augustanis peracta vexilla huic praesuli porrecta, et in circumfusam deinde proiecta multitudinem esse legimus. A. MCCCCLXXIII. apud IO. IOACHIM MULLERVM in dem Reichstags-Theatro unter König Friedrichen dem III. V. Vorstell. Cap. XXXVI. §. XI. p. 538: *Die Banner wurden über den Lehnstuhl herabgeworfen, um welche dann ein großes Gedreng und Gezerre entstanden.* Quin in Henrici Archipraesulis Moguntini inuestitura a Günthero I. A. MCCCXLIX. facta iam vexilla fuerunt loco symboli adhibita. Relatio de illa caeremonia apud MELCH. GOLDASTVM in *Politicis Imperial.* Tom. VI. p. 360: *Rex Güntherus sedibus aptatis, Henricum Archiepiscopum Moguntinum infeudauit quinquaginta vexillis. Et sic iurauit Archiepiscopus Regi, et e contra Rex Archiepiscopo vexillum porrigebat.* BVRC. GOTTH. STRVV *Corp. Iur. Publ.* Cap. XII. §. XXX. et XXXI. N. 26. p. 455. IO. PET. de LVDEWIG in der *Erl. der goldenen Bulle* Tom. II. p. III6. qui plura cumulant exempla inaugurationis Principum Ecclesiasticorum per vexilla peractae.

1) Ea Conuentio existat apud LAERT. CHERVBINVM in *Bullario Magno* Tom. I. p. 58. 59. GOD. WILH. a LEIBNIZ in *Cod. Iur. Gen. diplomar.*

plomar. P. I. N. I. in CORP. REC. IMPER. NOVISS. ober: der neuen und vollständigen Sammlung der Reichs-Abschiede T. I. p. 4.

- 2) Omni eruditionis adparatu de feudis Scepri commentatus est III. CHRIST. GOTTL. BYDER in Diff. de Feudis Scepri, Ien. 1737. edit. 4. et Opusculis postea inserta 8. Egregiam quoque huic doctrinae lucem adferunt BYRC. GOTTH. STRVV Corp. Iur. Publ. I. R. G. Cap. XII. pag. 446 seq. Elem. Iur. Feudal. Cap. VIII. §. CLXXX. pag. 165. seq. ed. nou. V. Cl. CAROLVS HENR. MOELLER in quantuis pretii *Primis Lineis Vfus pr. distinct. feudal.* Cap. III. Dist. X. p. 83. Ill. IO. GE. ESTOR Comm. de *Inauguratione beneficiaria; huiusque ritibus et symbolis et ritibus*, Cap I. §. XIX. sq. p. 26. sq. Promiscuum et feudis principum saecularium et ecclesiasticorum communem extitisse sceptrorum et vexillorum vsum, obseruat Ill. D. IO. IAC. MASCOV de *Iure Feudorum*, Cap. VII. §. IX. p. 131. 132. et octodecim exemplis euincere fatigit GOTTL. SAM. TREVER Diff. de *Inuestitura per sceptrum, feudis ecclesiasticis et saecularibus communi*, Gotting. 1741. 4.

§. VI.

HVIC SOLLENNI INAUGVRATIONI SVRROGATA
EST INVESTITVRA IN CAMERA, VETVSTVM
RITVM ADVMBRANS.

Verum enim vero tantae molis pompam et adparatum abrogari vel imminui saltim iusserunt recentioris temporis rationes. Etenim alterata et immutata Comitiorum indoles, aucta Procerum Imperii dignatio, sumtuumque fuga istas inaugurationes e foro in Cameram, e Comitii in sacram et augustam domum, ex loco patenti in conclauē transtulerunt ¹⁾. Etenim hodie nec Imperator, nec Principes ipsi perennibus Germaniae Comitii interfunt. Principes Imperii praeterea indignam eiusmodi humiliationem sua eminentia iudicant. Vasti denique sumtus eos pridem ab illa pomposa inaugurationis caeremonia deteruerunt. Has potissimum ob causas sollenni illi sumtuosissimae inaugurationi sub dio peragenda succenturiata ac surrogata mihi videtur inuestitura Principum Imperii in Conclauē Imperatoris, et Palatio regio minus sollenniter expedienda. Sub Carolo V. iamiam consuetudo inaugurandi priuatim inuehi coepit, prouti exemplis euidenter ostendit *Illustris D. CHRIST. GOTTL. BYDER in Amoeritatibus Iuris feudalis*, vera

vera certe praebentibus oblectamenta, OBS. II. de *Inuestitura feudorum Imp. in Camera* p. 10. sq. Magis adhuc iste mos increbuit inualuitque sub Ferdinando I. Tandem constanter et perpetuo seruari coepit 2). Hodie igitur Proceres Imperii eminentiores in aula Caesaris atque conclavi ritu, vetustum morem adumbrante inaugurantur. Etenim Imperator insidet *Throno suo Solioque*. Illud stipant atque circumstant ad priscae Curiae similitudinem officiales Imperii hereditarii, vel si hi absint, Proceres Aulae Imperatoriae. Inaugurandi conclauē intrantes, genibus bis flexis Solio Augusto accedunt, et in vltima illius scala in genua procumbunt. Deinde petitione peracta adscendunt Thronum; tactoque Euangeliorum libro, iusiurandum, quod recitat vicarius Imperii Cancellarius, dicunt. Tum Marefchallus Imperatori porrigit gladium, qui extremum illis conum inuestitis exosculandum praebet. Peracta inauguratione gratias agunt, et eodem ritu, quo intrauere, iterum recedunt 3). Ita prorsus ad vetusti moris et priscae Curiae speciem, ac antiquae inaugurationis sollemnis adumbrationem hodierna Principum inuestitura peragitur; quae quidem similitudo ex moderni et vetusti ritus comparatione manifestissime adparebit.

- 1) Tempus et rationes causasque translatae e Comitii locoque patenti in conclauē inaugurationis inuestigarunt et ostenderunt *Illustr. meisque encomiis longe superior* D. IO. IAC. MASCOW in *Lib. de Iure Feudorum I. R. G.* Cap. VII. §. XIV. p. 135. Ill. CHRIST. GOTTL. BYDER in *Amoenit. Iuris Feudalis*, vere oblectantibus, Obs. II. p. 10.
- 2) Postrema et vltima sollemnis inauguratio fuit ea, quam Maximilianus II. Augusto, Saxoniae Electori, ritu sollemni sub diu in Comitii Augustanis A. MDLXVI. impertitus fuit, quam fuso describit Commentarius sub Tit. editus: Bericht, welcher gestalt von R. Maximiliano II. der Churfürst H. Augustus zu Sachsen S. E. Gn. Reichs Lehn und Regalien auf ihrer Kayserl. Maj. erstern Reichstag zu Augspurg öffentlich unterm Himmel empfangen. Erford. 1566. 4. in BVRC. GOTTH. STRVVII *Elem. Iur. Feudal.* App. N. XLII. p. 79. sq. ed. Helfeld. *Illustr.* CHRIST. GOTTL. BYDER in der Sammlung verschiedener meistens ungedruckter Schriften, pag. 72.
- 3) Hodiernae inaugurationis ritum prolixè et ample describunt IO. CHRIST. LÜNIG in *Corp. Iuris Feudalis* Tom. I. p. 92. IO. IOACH. MÜLLER in *Staats-Cabiner* P. II. C. V. p. 100. IO. WILH. IITTER

de *Feudis Imperii* Cap. IX. §. XXXIV. IO. GE. ESTOR Comm. de *Inaugur. beneficiarii* etc. Cap. II. pag. 37. seq. BVRG. GOTTH. STRVV *Elem. Iur. Feudal.* Cap. VIII. §. CLXXXIII. p. 173. sq. ed. nou. *Corp. Iur. publici* Cap. XII. §. XXXV. p. 460. *Illustris* IO. IAC. MOSEER, quo mea patria superbit, in dem *Reichs-Zofraths-Proceß*, Tom. IV. p. 15. Similitudinem priscae et hodiernae inaugurationum Curiae sollemnitis quemlibet perspecturum esse confido. Olim praecipuus Curiae sollemnitis splendor in Procerum Palatinorum ministeriis conspicuus erat. *Illustr.* IO. IAC. MASCOV *Princ. Iur. publici I. R. G. L.* III. Cap. VII. §. VII. p. 172. Olim Solium Imperatoris, Principes Imperii inaugurantis, circumstantabant Archi-Officiales Imperii amictu electorali vestiti. Hodie hereditarii Imperii Officiales, seu illorum Vicarii, vel his quoque absentibus, Proceres Palatii Caesarei Thronum stipant atque cingunt. IO. GE. ESTOR de *Inaug. benefic.* C. II. §. XXXIII. pag. 39. *Lib. de Iudicio Principum* §. XIX. sq. p. 10. Olim in Pegmate publico coram Solio, opere saltim momentaneo cum in finem extructo, hodie in conclavi coram Throno inaugurationo perficienda; olim sub dio; hodie in conclavi; olim adhibitis in symbolum Sceptris atque Vexillis, hodie gladio expeditur inuestitura. Cur gladius hodie adhibeatur, fluctuant eruditorum opiniones. Omnibus arridebit *Illustris* IO. IAC. MASCOVII coniectura in *Lib. de Iure Feudorum* C. VII. §. XV. N. I. p. 136. ed. nou. *Is*, inquit, *ritus forte seruatus ex antiquissimo Germanorum more iurandi per arma, strictumque Gladium*, de quo vide *Geschichte der Deutschen*, Lib. XVI. §. XL. n. 6. Plura de ritu iurandi per gladium strictum annotauit Dn. DREYER in erudita Observatione: *Von der Gewohnheit, die Eyde an der Klinge des Degens abzulegen*, in *Einfl. Vermischten Abhandlungen*, P. I. n. VI. Olim gladius potissimum adhiberi solebat instar Symboli in conferendis regnis. OTTO FRISINGENSIS de *Gestis Friderici I. Imp.* L. II. C. V. *Est enim consuetudo Curiae, ut regna per Gladium, prouinciae per vexillum a Principe tradantur.* In CHRISTIANI VRSTISI *Collect. Scripor. Rer. German.* Tom. I. p. 448. IO. IAC. MASCOV *Lib. de Iur. Feud. I. R. G.* C. VII. §. IX. n. I. p. 131. V. Cl. IO. HEVMANN *Obs. de Inuestitura per Gladium.*

§. VII.

FEVDA THRONI.

Thron-*Lehn*.

Luculentissime ex iis, quae haecenus differuimus, patebit: quanam Imperii feuda, *Feuda Throni*, *Thron-*Lehn**, sint appellanda ¹⁾. Illa quippe feuda Imperii regalia maiora dicenda esse reor *Feuda Throni*, quae olim in Curia sollemni atque Comitibus, sub dio, ab Imperatore ac Rege augustali vestitu coruscante coram Solio siue sedili regio, Archiofficialibus, Electoribus atque Principibus stipato, sollemni ritu et more maiorum accipi solebant;

bant; quae vero hodierno tempore ab ipso Imperatore in Con-
 clavi ac Camera Throno infidente, circumstantibus Imperii he-
 reditariis officialibus, vel aulae augustae proceribus sollenniter
 conferuntur. BVRG. GOTTH. STRVV *Elem. Iur. Feudal.*
 Cap. VIII. §. CLXXX. fin. p. 168. §. CLXXXIII. p. 173. ed. nouiss.
Corp. Iuris publ. C. XII. §. XXXI. p. 453. §. XXXV. p. 460.
 CAR. HENR. MOELLER *Prim. Lin. Vfus practici dist. feudal.*
 C. V. Dist. III. p. 181. Vera haec est et genuina feudorum Throni
 notio, ex ipsa CAPITVLATIONE CAROLI VII. Art. XI. §. VII.
 et FRANCISCI I. A. I. P. F. *Sanctione auspicali* Art. XI. §. VII.
 depromenda et haurienda: Welche Meynung es dann auch haben
 solle mit denenjenigen Lehen, welche die Reichs-Vicarien in Kraft
 der goldenen Bull (als worinnen die von uns coram Throno
 zu empfangenden Lehen allein ausgenommen seynd) verleihen kön-
 nen. CORP. RECESS. IMP. NOVISS. Tom. IV. p. 16. Anhang.
 Caue igitur opineris, feuda Vexilli etiam omnia esse feuda
 Throni. Complura enim feuda Imperii per Vexilla reperimus
 esse collata, sed non sollenniter, non coram folio ritu antiquo.

1) Noua haec et inaudita adhuc est feudorum appellatio diuisioneque, a diuersa in-
 augurationis ratione et sollennitate profecta. Ansam ei et occasionem praec-
 buit vtraque *Capitulatio nouissima* CAROLI VII. et FRANCISCI I. Art. XI.
 §. VII. vbi discernuntur feuda, quae coram Throno ab Imperatore accipi-
 untur, et quae ritu minus sollenni coram Senatu Imperatoris Aulico obti-
 nentur. CAR. HENR. MOELLER *Vfus Pract. dist. feudal.* C. V. Dist. III.
 p. 181. Ab eo tempore dictio nostra in Comitibus, in Aula, in publicis rerum
 feudalium commentariis inualuit. Pro Memoria des Reichsgrafen-Standes
 an das Churfürstliche Collegium, peto Inuestiturae coram Throno apud
 IO. IAC. MOSERVM in den Beylagen zu der Wahl-Capitulation R. Carls
 des VII. I. Theil, p. 82. DEDVCTIO Comitum sub Tit. Beweis, daß die
 unmittelbaren Graffschaften Thron- und Fahnen-Lehn seynd u. in SELECTIS
 IVRIS PVBL. NOVISS. P. VIII. Cap. III. *Illustr.* IO. IAC. MOSER
 in dem Deutschen Staats-Recht, P. VIII. p. 88. sq.

§. VIII.

AN COMITATVS IMPERII ET DYNASTIAE SINT
 FEVDA THRONI.

Praestructo feudorum Throni conceptu genuino, Legi-
 bus Imperii vsuique congruo, facile iudicatu esse reor, vtrum
 feudis

feudis Throni talibus sint accensendi Imperii Comitatus, an- que ad illa referri debeant dynastiae proximè imperio subordi- natae¹⁾. Haud inficiamus, Comitatus nonnullos et Dynastias vastiores et maioris momenti esse feudis Imperii regalibus ma- ioribus annumerandos; CAROL. HENR. MOELLER *Vf. pract. dist. feud.* Cap. III. Dist. IX. et Dist. XI. Nec diffitemur, feuda Comitibus quondam frequentius per vexilla fuisse collata; Ne- que negamus, Comitatus coram solio Principibus a Caesare sollenniter impertiri²⁾. Verum enim vero cum nullius vn- quam Comitatus, nullius Dynastiae inuestitura sub dio, sollenni ritu, prisca pompa, in Comitibus Curiisque coram solio Caesa- ris fuerit peracta; cum nec nostra recentiori aetate Comitatus ac dynastiae ab ipso Imperatore coram Throno sollenni ritu conferantur; ego quidem nullus dubito illorum adferri atque subscribere opinioni sententiaeque, qui Comitatus et Dyna- stias feudis Throni perperam adscribi et annumerari contendunt ac arbitrantur. BVRG. GOTTH. STRVV *Elem. Iur. feudalis.* C. VIII. §. CLXXXI. p. 168 seq. *Corp. Iur. Publ. I. R. G.* Cap. XII. §. XXXI. p. 453. §. XXXV. p. 459. HERM. DIET. KEMMERICH *Introd. Iur. Publ. I. R. G. Lib. VIII. C. XV. §. VIII.* Tom. II. p. 1689. Alia omnino est ratio Comitatum Principa- tibus incorporatorum, qui ceu accessorii sequuntur indolem principalis. Hinc Principes Comitatus per vexilla coram solio sollenniter acceperunt, et hodiernum coram Throno impe- trant. Feudis Throni etiam accensendos esse arbitror Comi- tatus Principali dignatione eminentes. *Gefürstete Graffschaften.* IO. IAC. MOSER *Grundriß der heutigen Staats-Versaffung des deutschen Reichs.* L. VII. Cap. VIII. §. XI. p. 668.

1) Comitatus feudis vexilli sollenniter conferendis quondam accensuit NIC. HIER. GVNDLINGIVS in *Diatr. de Feudis Vexilli* §. XXII. XXIII. quumque dubia ei mouisset atque proposuisset b. MICH. HENRICVS GRIEBNERVS in *Progr. quo duas: de feudis Vexilli Observaciones* exhibuit: A. MDCCXVII. Lips. 4. edito, ille ad confutandum aduersarium et tuendam opinionem elaboravit diatribam: *Die Erläuterung der Gräflichen Fahn-Lehn.* in GVN- DLINGIANIS P. XXVI. p. 62. Verum hic id tantum demonstravit, vexilla in comitum

comitum inauguratione fuisse adhibita, et comitatus, Principatibus annexos et inhaerentes sollenniter per vexilla esse collatos. Comitum Causam tuendam et defendendam suscepit WILH. FRID. PISTORIUS in den historischen und juristischen Anmerkungen über allerhand den Ursprung, Historie, Vorrechte derer des H. R. N. Grafen betreffenden Materien. P. II. p. 192.

- 2) Hisce siculneis et inualidis rationibus suam postulationem superstruunt Comites. Cum enim in nouissimis post obitum vtriusque Caroli interregnis Vicarii Imperii Comites ad inaugurationem rite ab ipsis impetrandam sub feloniam et caducitatis comminatione citassent ac euocassent: hi graues mouerunt coram Collegio electorali querelas, causam interferentes, Comitatus esse feuda Vexilli, quorum ab inuestitura Vicarios abstinere iuberet *Aurea Bulla*. Reichsgräfliches Pro Memoria wegen derselben Belehmung tempore interregni apud I O. I A C. MOSER in den Anmerkungen und Beylagen zu R. Carlu des VII Wahl-Capitulation P. II. p. 87. Quo igitur cessaret in posterum iste comitum praetextus vanus, omnique destitutus fundamentis; Electores in nouis, quas condiderunt Capitulationibus istum Aureae Bullae locum tam peruerse intellectum ita fuerunt interpretati, vt Imperatori eorum solummodo feudorum collatio reservata censenda sit, quae *olim sub dio sollenni ritu*, haecenus vero *coram Throno ab ipso Imperatore accipi consueuerunt*. CAPITVL. CAROLI VII. et FRANCISCI I. A. I. Art. XI. §. VII. vbi: *Als worinnen die von uns coram Throno zu empsaugende Lehn allein ausgenommen sind*. Huic Aureae Bullae dexterrimae interpretationi; nouoque Capitulationis articulo publice et sollenniter reclamabant comites et refragabantur, causati, non licere Electoribus Capitulatione ita ad diminuenda, eneruanda et adimenda reliquorum Imperii Ordinum iura abuti; et tam inique leges Imperii fundamentales interpretari. Deinde Publica Scriptione demonstrare satagebant, Comitatus esse feudis Vexilli Thronique annumerandos, adeoque Vicariorum inuestitura exemptos. Prodiit nimirum publicus libellus haecce titulo insignitus: *Beweis, daß die Reichs-Lehnbarn immediate Graf- und Herrschaften ohnzweifelhafte Fahren- und Thron-Lehn seyn; mit unverwerflichen Archiv-Urkunden besonders in Ansehung der uralten Graffschaft Hohenlohe, dargehan*. Wehringen, 1743. Integrum inseruit HENR. KONR. KOENIG *Selectis Iuris Publ. nouiss.* P. VIII. p. 88. N. III. Suum quoque ad adserenda Comitum postulationes calamum commodauit. V. C. IO. HEVMANN, *diff. de S. R. I. Comitibus inuestiendi ratione*. 4. Aldorfii 1746. Chartae angustiae vetant, quominus huic liti ulterius discutiendae immorari diutius queamus. Ablegamus igitur hiantem lectorum ad CAR. HENR. MOELLERVM *Vf. Pr. dist. feudal.* Cap. V. Dist. III. p. 181. BVRC. GOTT. STRVVIVM: *Elem. Iur. Feud.* Cap. VIII. §. CLXXXI. p. 169 sq. III. IO. IAC. MOSERVM in dem deutschen Staats-Recht. VIII Theil. p. 88 sq. III. IO. DAN. OLENSCHLAGER *Geschichte des Interregni nach Absterben Kayser Carl des VI* I Th. p. 349. 352. 353. II Th. IX Abschnitt, p. 503. IV Th. p. 444. 537.

§. IX.

VSUS PRACTICVS DIVISIONIS FEVDORVM IMPERII
IN FEVDA THRONI, ET EA QVAE NON
ACCIPIVNTVR CORAM THRONO.

Non inanis vero ac vana, nec a sola inaugurationis ritualis diuerfitate profecta est distinctio feudorum Imperii in ea, quae coram folio Caefaris follenniter accipiuntur, et illa, quae non coram Throno Imperatoris obtinentur. Plurimi enim refert, vtrum de feudo Throni, an de alio huius praerogatiuae exforti quaefitio fit Imperii beneficio. I. Nam feuda Throni maioribus, feuda vero coram fenatu aulico conferenda minoribus Imperii feudis accenfentur. Eadem igitur diuifionis noftrae effe videtur vtilitas, ac diftinctionis illius inter feuda Imperii maiora atque minora. CAROL. HENR. MOELLER *Prim. Lin. vfus pract. dift. feudal.* Cap. III. Dif. XI. p. 85. II. Deinde complures aliae feuda Throni et feuda minus follenniter accipienda discernunt diftinguuntque differentiae. Etenim feuda Throni folus Imperator follenni adhuc ritu, *veruftum morem adumbrante* confert; alia vero accipiuntur absque omni pompa in fenatu Imperiali Aulico ¹⁾. Orbato fuo Capite Imperio inaugurationis feudorum Throni fufpenditur ad nouam vfque Imperatoris electionem, cui foli feudorum illorum collatio effe referuata. Verum illa feuda, quae coram folio concedi moris non effe, a Vicariis Imperii quoque conferuntur ²⁾. *Schwäbifches Lehn-Recht* Cap. XLII. §. 2. *Wirt es nicht verricht umb ainen Ehunig inner Jarres Friß, fo füllent all die, die von dem Reich Lehn habent ire Lehen empfaßen von den Pfälz Graven vom Keyn, an (praeter) die Fürften, die füllent ir Fürften Ampt nit von im empfaßen. Alle die Ban Lehen habent vom Reiche, das nicht Fürften-Ampt find, das füllent sie empfaßen von dem Pfälz Graven bey Rein u. in Perill.* HENR. CHRIST. L. B. DE SENCKENBERG *Corp. Iur. feud. Germ.* p. 122. Ita iam pridem vexillaria fimplicia feuda a Vicario Rhenano interregni tempore conferri solebant. Feuda vero principum feu feuda Throni follenniter concedi folita vicariorum

cariorum inuestitura censentur exempta et superiora. IO. SCHIL-
 TER Comm. ad *Ins feud. Allem. C. CXLII. §. 2 sq.* AVREA
 BULLA Cap. V. §. 1. *Inuestiendi de feudis etc. Feudis Principum
 duntaxat exceptis, et illis, que Van-Lebn vulgariter appellan-
 tur.* Neueste Sammlung der Reichs-Abschiede, Tom. I. p. 59.
 Feuda vero Principum et vexilli illa heic intelliguntur, quae
 coram solio sollenni ritu sub dio quondam conferri moris erat.
 Regiments-Ordnung von Worms de A. 1521. §. IV. Und behal-
 ten uns bevor die Belehnung der Lehen und Regalien derjenigen,
 die unter den Fahnen öffentlich mit sollennitäten pflegen zu emp-
 pfahen und zu verleyhen. Neueste Sammlung der Reichs-Abschie-
 de, Tom. I. p. 173. In binis vero nouissimis diui CAROLI VII.
 et A. FRANCISCI I. *Conuentionibus auspicalibus mens aureae
 Bullae* clarius repraesentata et definita fuit. Cum enim recen-
 tiori aeuo sollenni priscae inaugurationi, sub dio quondam per-
 actae, inuestitura coram throno solioque Caesaris fuerit surro-
 gata, rectissime et praesentis temporis rationibus plane conform-
 iter *Auream Bullam* ita interpretati sunt Capitulationis *aucto-
 res.* Wahl-Capitulation S. Caroli VII. Art. XI. §. VII. A. Fran-
 cisci I. Art. XI. §. VII. Welche Meynung es auch haben soll mit
 denenjenigen Lehen, welche die Reichs-Vicarien in Kraft der güld-
 nen Bulle, (als worinnen die von uns coram Throno zu emp-
 pfahende Lehn allein ausgenommen sind), verleihen können. Alu-
 cinantur omnino illi, qui noui quid sancitum ita, vel auream Bul-
 lam contra ipsius mentem verumque sensum restrictam ac ex-
 plicatam esse contendunt. Eandem enim Aureae Bullae sen-
 tentiam, eundemque scopum fuisse satis manifeste patet.
 Ratio autem et causa, cur feuda Throni vicariorum collationi
 subtracta, solique reseruata sint imperatori aperta esse videtur,
 et in aprico posita. Etenim Vicariis Imperii solio Caesareo cum
 amictu et ornatu augustali non conuenit infidere, nec Electores
 ceu officiales primarii Imperii, vel hereditarii illorum subalterni
 functiones suas et officia ac ministeria illis praestare possunt.

BVRC. GOTTH. STRVV. *Elem. Iur. feudalis* Cap. VIII. §. CLXXXI.

p. 172. ed. *Helf.* Denique in eo quoque insignis feudorum Throni et aliorum differentia mihi videtur conspicua esse, vt in illorum collatione Laudemium saltem minus, non vero maius, nisi vnico casu sit praestandum; in horum vero concessione laudemium tam maius, quam minus omni renouandae inuestiturae casu praebere oporteat. CAROL. HENR. MOELLER C.I. Cap. III. Dist. III. N. IV. p. 82. Cap. XVII. Dist. XIII. XIV. p. 389. *Illustr.* D. IO. IAC. MASCOV Lib. *de Iure feudor.* Cap. VII. §. XXXVI - XXXVIII. p. 145 sq. *Princ. Iuris Publ.* L. III. C. VII. §. XLII. p. 193.

- 1) Minus sollennis feudorum Imperii minorum, Comitatum et Dynastiarum collatio fit in senatus Imperii aulici Concilio. IO. IAC. MASCOV *de Iure feudorum* I. R. G. Lib. Cap. VII. §. XVI. p. 136. IO. IAC. MOSER in dem Reichs-Hof-Raths-Proceß P. III. C. IV.
- 2) Conferri ea de differentia vltcrius possunt IO. IAC. MASCOV Lib. *de Iure feud. Imp.* I. R. C. VII. §. XVI. p. 136. *Princ. Iur. publ.* I. R. G. L. III. Cap. VIII. §. XI. p. 204. §. XIX. p. 205. Not. CAR. HENR. MOELLER *Prim. Lin. vs. pr. dist. feudat.* Cap. III. Dist. XI. p. 87. n. III. Cap. V. Dist. III. p. 180 sq. IO. IAC. MOSER in den Anmerkungen und Zulagen zu R. Carl des VII Wahl-Capitulation. Ad Artic. XI. §. VII. P. II. p. 391. §. 2. deutschen Staats-Recht, Tom. VIII. p. 72. Grund-Riß, L. III. C. XIII. §. 10. p. 221. L. VII. Cap. VIII. §. XV. p. 671. Vbi et von der Tarisch- und Schwarzbürgischen Thron-Belehnung quaedam commemorat. HENR. CONR. KOENIG. *Abh. von den hohen Reichs-Bicariats Gerechtsamen* I *Abh.* §. 61 sq. p. 94 sq. *Remarques historiques et politiques sur la Capitulation de Francois I.* Art. XI. §. VII. N. 2. p. 259.

§. X.

PERORATIO.

Tantum pro temporis angustia, et libelli academici mensura de argumento hocce iuris publici atque feudalis elegantia satis, amoeno, difficili et arduo commentari licuit. Limatius quid politiusque, et maiorem vberioremq; eruditionis adparatum praestolamur ab *Illustri Tubingensium Iureconsulto* D. DAN. GODOF. HOFMANNO, qui suam huic materiae operam dudum spondit in *Lib. de Iure statuum Principumque Imperii suffragandi ad Capitulationes Imperatorum.* C. I. §. I. N. VI. Interim dum spei illius nos adhuc lactantis complementum opperimur, nostro Te, Lector, conatu contentum esse iubemus.




KL 740 lo

S







10
114. Num. 11

IO. CHRIST. WILH. STECKII
L. V. D
D E

FEVDIS CORAM SOLIO CAESARIS
SOLLENNITER ACCIPIENDIS

COMMENTATIO

P. 344.
CAPVT XI. §. VII.

SANCTIONIS IMPERATORIS A. FRANCISCI I.
AVSPICALIS ILLVSTRATVRA.



Hel 740 =



GOETTINGAE

APVD IO. GVIL. SCHMID, VNIVERS. BIBLIOPOL.
CIC IO CCLV.